


Z
ORATIO
DE ANNO JU-
BILÆ OEVAN-
GELICO PRIMO
HABITA

à

M. Simone Rettero Scholæ
Nördlingensis Rectore

Pridie Nonar. Novembr: Anno
m̄s χειρογένεως M DC XVII.



NORIBERGÆ
Typis exscribebat Abrahamus
Wagenmannus.
M DC XIX.

VIRIS
AMPLISSLIMIS, CON-
SULTISSIMIS ET PRUDEN-
TISSIMIS

INCLYTÆ REIPVB:
NORDLINGENSIS

DD. CONSULIBUS ET
SENATORIBUS

Viris usu rerum & judicij dexter-
itate spectatissimis

*Patronis suis debitâ observantia
colendis*

D. D. D.

M. Simon Retterus Scholæ
Nördlingensis Rector..





ORATIO DE ANNO JV. BILÆO CHRISTIANO M DC XVII.



OGITANTI mihi, Magnifici,
Amplissimi, Reverendâ dignitate, Pruden-
tiâ, Eruditione ac virtutum orna-
mentis Clarissimi & Præstantissimi Vi-
ri, Domini & Fautores mei, quotquot
adestis, æternum colendi, ac Tu, studiosa juventus; Co-
gitanti, inquam mibi de moderno Ecclesiæ Christianæ
statu, ac temporum vicissitudine: occurrit tempus ex-
optatissimum atq; desideratissimum, annus nimirum
secularis Evangelicus primus, quem passim ab ortho-
doxis Ecclesijs, magnâ cum solennitate, non sine ratio-
ne gravissimâ celebrari deprehendo. Nam ab hinc cen-
tum annos, Clemensissimus D E U S, per fidelem servum
suum M A R T I N U M L U T H E R U M, onus illud cœnacloq;
quem Spiritu suo Sancto & virtute ex alto ad hoc ne-
gotium armaverat, Pontificatum Romanum omnibus
hominibus maximis - minimis formidabilem, famâ à
Septentrione turbare, *Dan: 11.* & gladio Spiritus, id est,
verbo D E I, quovis ancipiit gladio penetrantiore con-
fodere ac prosternere, & faciem lucidissimam verbi sui
Orbi Christiano in tenebris & umbrâ mortis sedenti,
allucere coepit. In hujus rei memoriam non immerito

A 2 omnes

omnes Ecclesiæ Evangelicæ magnâ cum solemnitate & festivitate, ab omnibus membris suis diem hunc celebrari indexerunt. Proinde cum superioribus diebus ab Amplissimo urbis hujus Imperialis celeberrimæ Senatu, dicendi partes mihi demandatae sint, cuius voluntati & mandato morem me gerere, ipsa rei æquitas non suadet tantum sed imperare videtur, quippe cui, ceu Magistratui meo benignissimo, quicquid est in me doctrina, quicquid ingenij.

Quod per quam spatijs natura coercuit arctis,

Ut Poëta loquitur, itmò me ipsum debere agnoscam, & verò tenuitatis meæ probè mihi conscius, cui vis alij quam milii ex hoc loco ad vos dicendi partes demandatas esse malim: Voluntati tamen ejus parere, quam oneri huic, cui imparem me lubenter fateor, succumbere, satius esse duxi. Utinam verò Oratione commoda meæ pollicitationi, & vestræ expectationi satisfacere tam possem quam vellem, magnum profectò aliquid mihi præstissem viderer. Cùm enim confessus vestri autoritatem, quæ etiam tacita loquitur, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, gravitate præstans, afferri debere considero, terrore corruptus deficio, & quod eloquentissimis viris, Platoni apud Areopagitas, Theophrasto apud Alexandrum Magnum, & Heraclito accidisse legimus; penè obmutesco, ac valdè vereor, ut vestris eruditiris, terfis ac politis auribus sufficere ac digna proferre possim. Erigor tamen iterum, de vestrâ singulari humanitate & benevolentia spē conceptâ, & magnâ quadam approbandæ vobis, si minus eruditionis, at certè voluntatis meæ cupiditate.

Qua-

Quapropter de Festo Jubilæo Evangelico, cur illud
indictū sit, quomodo lux Evangelij in Papatu sub mo-
dio quasi absconsa, & per quem orbi rursus affulserit,
paucis aliquid differam, & quæ de illo scire nostra re-
fert, omnibus conspicendum quasi in tabellâ offeram.
Ut autem, Magnifici, Amplissimi, Reverendi & Do-
ctissimi Viri, mihi Scholastico magis quam oratorio
more sine *έργοις καὶ λόγων εὐηγρότεροι* dicenti, auribus ani-
misq; benignis adesse velitis; non tam pro consuetudi-
ne rogandi, quām quod necessarium ita esse judicem,
rogo & obtestor. Deus Opt; Max; Spiritus Sancti af-
flatu penitiores animorum nostrorum removeat re-
cessus, linguisq; gubernet, ut ipsi grata, Ecclesiæ fru-
ctuosa, nobis salutaria dicamus & faciamus.

Principiò Jubilæus, Annus olim apud Israëlitas, ceu-
res ad politiam spectans ad Politicos referebatur, de
quo expressum Dei mandatum extat *Levitici 25*, ut &
de anno Sabbatario, de quo utroq; breviter hæc habe-
te: Septimus quisq; annus divina institutione erat Sab-
batarius, quo nec colere agros, aut vineas licebat, & in-
stitebatur ad memoriam quietis divinæ, à creatione
sex diebus peractâ. Jubilæus autem dicebatur quin-
quagesimus quisq;, hoc est, post septem annorum,
hebdomadas circumactas recurrens annus. Vocabu-
tur & annus remissionis, quod eo possessiones diven-
ditæ ad priores Dominos redirent. Quæ consuetudo
ad conservationem illius honestæ Politæ admodum
facere visa fuit, quia & prodigiis frenos injiciebat, ne tem-
erè sua profunderent; & ad egestatem redacti, bona
sua alijs vendere necessum haberent; & avari minus emebant,
quia fundos aliquando reddere prioribus Do-

minis cogeabantur. Hoc modo igitur & mutationes & venditiones Deus restrinxit.

Hæc fuit ratio anni Iubilæi in veteri Testamento: Audite jam ejus originem & mutationem in N. Testamento. Pontifex Romanus Bonifacius VIII. circa annum Christi 1300. ex superstitione & avaritia ad illius anni Iubilæi judaici similitudinem centesimum quenq; annum ut Iubilæum celebrandum, per inanem & impiam κακοθηλιαν instituit, hac cum largissima indulgentia, ut qui seculari illo anno Romam Basilicam Petri & Pauli visitaret, plenissimam omnium suorum conquereretur veniam peccatorum. Dignum verò exordium Pontificij Iubelæi, tali authore, de quo ipsi Pontificij scribunt, quod intraverit ut vulpes, regnabit ut Lupus, vel Leo, mortuus sit ut Canis, referente Carolo Sigonio, antiquitatis scriptore gravissimo. Sed videte, quam varias, quo ad temporis periodum, indicatio anni Iubilæi à Pontificibus pastâ sit mutationes.

Bonifacius iste centesimum, ut audivimus, Iubilææ festivitatí annum præfinivit, is verò numerus annorum deinceps à Clemente VI. Pontifice decurtatus, & quinquagesimus annus Iubilææ festivitatí deputatus est, anno Christi 1350. Postea verò indies superstitione atq; avaritia invalecente, Gregorius XI. quinquagesimum expectare nolens, trigesimum indixit annum; Donec tandem Paulus II. ab hinc annis centum & amplius, vi cesimum quintum celebrari voluit, quod hominis ætas ad annum quinquagesimum agrè se extendat, similetiā ut per nundinationes indulgentiarum pecunias largior Clero Romano esset proventus. Quam etiam ob causam à JULIO II. ad decimum usq; annum Iubilæus

Iæus reductus fuit. Hæc est imposta, impietas & avaritia Pontificum Romanorum.

Sed ut missum faciamus Iubilæum Pontificium, & è diverticulo, quod ajunt, in viam, & ad propositum redeamus. dictus est Iubilæus **יְמִלָּה** quod eum Levitæ, ut legimus *Levit. 25.* per tubas arietinas, quæ dicuntur Hebræis **יוֹקְבִּים** convocato populo indicerent, unde illud est *Josué* 6. septimo die Sacerdotes tollent septem buccinas quarum usus est in Iubilæo.

Hunc annum Iubilæum Mosaicum, & rationem ejus, si ad tempus Novi Testamenti, quo primus illius Praeco, Iohannes Baptista, Christum agnum Dei, collentem peccata mundi, tubâ Evangelicâ, cœu in festo quodam Expiationis, proclamavit, si, inquam, ad tempus N. Testamenti accommodemus: reperiemus, nos populum Novi fæderis non minus annum Iubilæum & remissionis habere, quam populum V. Testamenti, & eum talem tantumq; qui V. Testimenti Iubilæo non modò comparari, sed longè præferri debeat, tantum quidem, quantum substantiam atq; corpus alicius rei, umbrâ & figurâ ejus præstare scimus. In Mose enim fuerūt typi & umbræ bonorum futurorum; Veritas autem & gratia per Christum facta est. Verum audire lubet utriusq; temporis atq; Iubilæi comparationem; Iubilæus Mosaicus uni tantum populo & terræ serviebat: Christi verò Iubilæus omnibus per totum orbem linguis & nationibus annunciatur & servit, ut dicitur: ex Syon exhibit Lex. Item: In omnem terram exivit sonus eorum. II. In Israëlitarum Iubilæo pristinæ libertati restituabant servi; in Christi Iubilæo vera est libertas Johan:

han: 8. Si vos filius liberos fecerit, verè liberi eritis.

Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, inquit Apostolorum Coryphaeus. Nam Christus nos liberavit ab ex actore durissimo, quemadmodum scriptum extat; scriptum ejus conteres: liberavit nos quoq; à lege, quae perfectam obedientiam à nobis exigit, sicut Paulus Roman: 8. scribit: *Quis D e i electos accuset? Deus est qui absolvit. Quis est qui damnnet?* Christus est qui mortuus est, vel potius qui resurrexit, qui etiam est ad Dei dextram, & pro nobis supplicat.

III. In Iubilæo Mosaico omnia erant communia, quæ nascebantur & proveniebant è terra; in illo eutem Christi Iubilæo omnia Christi beneficia sunt communia, nec quisquam excluditur, nec Iudæus, neq; Græcus sed omnes unum sunt, & ex æquo illa participant.

IV. In Israëlitarum Iubilæo singuli ad pristinas confessiones redibant: nos verò per Christum restituimur in sedes Paradisi, & regnum coeleste, ex quo per peccatum eramus ejecti. Ita quies illa &c restitutio in pristinum statum omnium bonorum fuit imago futurae vitæ, in qua erit summa quies & liberatio ex omnibus ærumnis atq; molestijs, omnia tunc restituentur in integrum: unde Petrus *Actor: 3.* diem adventus Filij Dei, diem restorationis omnium vocat. Hæc est comparatio Iubilæi Mosaici cum tempore N. Testamenti, quo nos Christiani, non quinquagesimo quoq; redeunte anno, ut Iudæi, sed indies & semper habemus & celebramus annum Iubilæum, & quotidiè credentes in Christum, seriamq; pœnitentiam agentes, plenam peccatorum remissionem singulis diebus consequimur. Longè alia ratione autem, alioq; fine superiori seculo,

culo, anno nimirum millesimo quingentesimo decimo septimo Pontifex Romanus Annum Iubilæum celebrandū edixit. Circumferebantur venales indulgentiæ à Tecelio monacho Dominicanæ familiae impudenterissimo Sycophanta, cuius impijs, & quibus promittebat omnibus qui pecuniam numerarent, remissionem omnium peccatorum plenariam, & animarum ex purgatorio liberationem, nefarijs conatibus provocatus Doctor Lutherus, piæ memoriarum, Zelo pietatis ardens, edidit propositiones de indulgentijs, quas publicè ad valvastempli, quod arci Wittebergensi contiguum est, affixit pridie Festi omnium Sanctorum prædicti Anni 1517. Hic Tecelius nihil sui dissimilis, ac sperans, se etiam gratiam apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum convocat, Monahos aliquot & Theologos sua sophistica haut leviter tinctos, hos scribere atq; edere confutationem thesum Lutheranarum jubet. Ipse autem ubiq; locorum vociferatur, Lutherum hæreticum, & igni perdendum esse. Propositiones etiam illius atq; concionem de indulgentijs publicè coniicit in flamas ceu hæreticas, & igne cum autore earum exurendas; Sed nihil his motus Lutherus, tamen ipsius impijs conatibus acriter restitit, ejusq; furorem magno Spiritus impetu repressit; verenda Babyloniam Thaidis ex verbo DEI detexit, atq; ita excussis tenebris claram Evangelij lucem accendit.

Hic LUTHERUS noster natus est Islebij in veteri & celeberrima inclytorum Comitum Mansfeldensium ditione, decimo die Novembris, nocte, post horam undecimam Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, ac nomen Martini in sacro Baptis-

B matis

matis fonte sortitus est, eo quod dies sequens Divo
Martino sacer dicatus esset. Patrem habuit Iohannem
Lutherum virum propter candorem atq; integrita-
tem omnibus bonis viris charissimum; Matrem verò
Margaretam, fæminam prater cæteras virtutes, pudi-
citia, timore Dei, & invocatione Numinis Divini in-
signem, quam cæteræ mulieres tanquam exemplar vir-
tutum intuebantur. Postquam per ætatem doctrinæ
capax fuit, à paréibus ad agnitionem & timorem Dei,
& aliarum virtutum officia, & ad bonarum literarum
studia domesticâ institutione diligenter assuefactus est.
Ingressus annum decimum quartum Magdeburgum,
überioris ingenij cultus gratia, missus fuit. Inde in Scho-
lam Ihsacensem, ut rectius disceret præcepta Gramma-
tices. In eam autem urbem missus est, quod Mater ijs
in locis honestâ familiâ natâ erat. Cumq; vis ingenij es-
set acris, commilitones suos in progressu literarum lon-
go post se intervallo reliquit. Flagrans autem indies
majore cupiditate discendi, ad Academiam, tanquam
fontem omnium doctrinarum animum adiicit, atq; Er-
phordiam se confert: ibi Anno 1504. gradum Magi-
sterij Philosophici summa cum laude & admiratione
adeptus, de consilio propinquorum Iuris studium in-
choat: Verùm paulò post ex singulari devotione in-
gressus est Collegium Monachorum Augustinianorū,
quod est Erphordiæ; ibidem regulam ordinis sui jeju-
nando, orando, legendo, strictè observavit, ea spe fre-
tus, se inde vitam æternam consecuturum esse. Non
igitur Paupertas, sed studium Religionis atq; pietatis in
id vitæ genus illum induxit. Anno 1508 consilio & sua-
su Reverendi viri Staupitij, Wittebergam ad professio-
nem

nem Theologicām vocatur, qua in urbe inter quotidiana disputationū Academicarum & concionum exercitia magis magisq; ejus ingenium elucere cœpit. Postea anno ætatis vicesimo sexto Romam missus est ob controversias inter Monachos sui ordinis ex ortas; certenans autem urberi è longinquo, in genua procidit, ut ipse fassus est, ac sublatis in cœlum manibus dixit: **S A L - V E S A N C T A R O M A:** verum mox in ea deprehendit detestandam prophanitatem, execrandam idolomaniam, atq; vitam sodomitac Papæ, & Cardinalium impurissimorum. Si tūm temporis Papa scivisset, quæ **L U T H E R U S**, vel potius **D E U S** per **L U T H E R U M** perfecturus esset, nunquam ipsi procul dubio in Germaniam redeunti potestatem fecisset. Româ reversus eodem anno, Illustrissimi & Sapientissimi Ducis & Elektoris Saxoniae Friderici mandato supremum in Theologia gradum adeptus, & Doctor Theologie renunciatus est. Ipse alicubi fatetur, sibi admodum recusanti, serio demantasse Staupitiū, ut hoc gradu ornari separatoretur, multa enim in Ecclesia expedienda jam esse negotia, ad quæ **D E U S** illius opera uti velit, cuius verbis ita eventus respondit.

Anno enim Christi 1517. Tecelij Papalibus diplomaticis, quæ remissionem, sive ut ipsi loqui amant, indulgentiam peccatorum venum exponebant, masculè sese opposuit, illaq; ex verbo **D E I** solidè refutavit, conscriptis thesibus de indulgentijs, ijsq; Tecelij fraudibus & imposturis opposit is. Sed diligenter causam perpendite, quare **L U T H E R U S** Tecelij istius conatibus sese ita opposuerit, ne vel ex odio in Tezelium, vel animi levitate factum esse cogitare quis possit. Causa fuit omni-

nò gravissima & sanctissima. Nam non erubuit Mo-
nachus ille impudentissimus dicere, se diplomatis suis à
Pontifice datis, plures animas ex orco liberasse, quam
D. Petrum universo suo Evangelio, istis diplomatis suis
homines adeò certos reddi de salute sua, ut de ea nihil
planè dubitare possint aut debeant, imò nullum posse
admitti tam enorme scelus, quod illius diplomatis be-
neficio non possit condonari, omnes etiam defunctorum
animas, quæ crucientur in purgatorio, simul ac nu-
mulus in arcuam sit iniectus, soluta pænis in coelum è
vestigio subvolare; imò, quod cogitare anim⁹ perhor-
rescit, si quis Sanctam Mariam violasset, sceleris tamen
istius gratiam per venales suas indulgentias se facere
posse. Hisce & similibus execrandis sermonibus Ponti-
ficio fastu & flatu prolati, multi homines in errorem
abripiebantur. Quare LUTHERUS, tanquam verus
Christianorum Doctor ratus, diutius sibi non esse tacē-
dum, disputationem oppositam indulgentijs Pontificijs
evulgavit, qua in universum ferè Pontificatum graviter
investitus est. Hac disputatione futuræ reformationis
prima q. fundamenta jacta sunt, & ab eo tempore Lux
Evangelij per DEI misericordiam ineffabilem è tene-
bris iterum elucere cepit. Exordium quidem erat nul-
lius ferè momenti, nec credibile videbatur unicum ho-
minem tale quippam effecturum esse. Unde Albertus
Cranzius vir doctissimus, cum positiones Lutheri
contra indulgentias vidisset, dixisse fertur: Omiseri-
me frater quid tentas? Profers quidem veritatem, nihil
autem efficies: quare in cubiculum tuum, mi Marti-
ne, te conferens, ora illud Regij Psalmæ: Miserere mei
DEUS. Neq; enim exstimas fieri posse ut unus hic
homo

homo Papatum eversurus esset. Hic ita gestis Augu-
stam Vindelicorum ad Comitia ab Imperatore Maxi-
miliano celebrata, evocatur ad Thomam Caietanum
Pontificis legatum, qui illi tres syllabas legendas & scri-
bendas proposuit, nimirum Re-yo-co; ad quæ LUTHE-
RUS, se nullius erroris, quem revocare debeat, sibi con-
scium esse, quin potius ipsam verbi divini veritatem,
cōstanter se propugnaturum, atq; exilium, ignem, nec
non quidvis subiturum, quam revocaturum esse re-
spondit. Wittebergam rediens, Anno 1521. Convoca-
ta omni juventute scholastica, magna doctorum viro-
rum multitudine comitante, jus Pontificium, ostensis
impijs, quæ in eo continentur decretis, & nuper evul-
gatum Pontificis decretum, Zelo divino extra portam
palam exurit, unde multi ad Evangelicam religionem
se convertendi, & Papatui valedicendi occasionem
sumfere. Postea ab Imperatore CAROLO Quinto LU-
THERUS Wormatiā ad comitia per caduceatorem,
ad dicendum causam vocatus est, utq; illitutò ire redire
liceret, publicam fidem, sive ut hodiè loqui solemus,
salvum conductum accepit: cumq; haud procul urbe
abesset, pleriq; dehortabantur eum ne urbem ingre-
deretur, eo quod ipsius nuper essent exusti libri; quo
quidem præjudicio satis constet ipsum esse damnatum,
& si ingrediretur, in summo futurum discrimine. Ve-
rū ipse magno quodam animi robore periculum o-
mne contempsit, & terorem, si quis sit, à Sathanā sibi
dixit incuti, qui confessione hac veritatis, regnum su-
um labefactari agrēferat. Quare lato atq; imperter-
rito animo in hac erupit verba: vocatus venio, vocatus
etiam ingrediar urbem in nomine Domini nostri IESU

CHRISTI, etiamsi scirem, tot diabolos mihi oppositos esse, quot tegulae sunt in tectis ædium totius urbis. Ingressus itaq; Wormatiam, coram Cæsare ac frequenti Principum concilio se sistit, & quæ sibi proponebantur, attentè audit, primò, an libros à se scriptos pro suis agnoscat? deinde, an retractare illos, an verò tueri velit? Ad alteram quæstionē, an libros à se scriptos profusis agnoscat, pro suis se agnoscere respondet. Ad alteram autem quæstionem, an propugnare velit ea quæ scripsit, quandoquidem res maximi sic momenti, deliberandi spatum petit. Pleriq; putabant, eum quod moram istam peteret, non fore constantem. Sequenti die his verbis respondit: nisi scripturæ testimonijs, vel evidenti ratione, convictus fuero, non possum quicquam eorum, quæ scripsi, revocare: convictus verò, omnes meos libros cremandos dabo.

Cum verò nullus Pontificiorum tunc temporis in urbe Vangionum congregatorū ex sacris literis ipsum erroris convincere ullo modo posset, ideo revocare noluit, sed in hanc vocem erupit: Hic sum, aliter non possum, D E U S me juvet, Amen. His ita gestis, Cæsar illum proseribit, ut autorem schismatis, ut manifestum ac pertinacem hæreticum, mandat eriam omnibus, ut talem agnoscant, non late excipient, aut necessaria ad viatum subministrent, gravi denunciata poenâ secus facientibus. Sed cur à Sapientissimi ac Pientissimi Electoris Saxoniae in itinere interceptus, &c in arce Warteburgensi custoditus est. Quemadmodum verò Lutherus, divini verbi doctrinam ore, atq; constanti confessio- ne promovit: ita etiam scriptis in publicum editis pro- pagavit. Reversus enim Anno 1523. Wittebergam,

Novum

Novum Testamentum, & quinq; libros Moysi in vernacula linguam transtulit. Anno 1525. multas in Psalmos interpretationes scripsit, consolationis atq; doctrinæ plenas, cantilenas etiam germanicas, quibus adhuc in nostris Ecclesiis utimur, ut nihil jam dicam de libris polemicis, commentarijs in scripta V. & N. Testamenti, item & didacticis magno numero ab ipso scriptis. Sed veniamus iam ad tempus illud augustissimum, comitia, inquam, Augustæ Vindelicorum à Carolo Imperatore Anno 1530. celebrata, in quibus ordines protestantii Principium & Theologorum invictissimo Imperatori CAROLO V. obtulerunt fidei suæ Symbolum, quod postea à loco, in quo exhibitum erat, Augustana Confessio dicta est. Quam solennia & celebratissima autem, tam difficultia atq; periculosa fuerunt comitiorum istorum Imperialium tempora ordinibus Imperij Evangelicis, LUTHERI doctrinam confitentibus; nam publicè in confessu Procerum Imperij auditæ sunt voices Imperatoris, sacratissimam suam Majestatem devinctam esse Romanæ Ecclesiæ, cuius permanere etiam vellet defensor. Voices etiam profanorum aliquot Principum auditæ fuerunt: se, si loco Cæsaris essent, refutationem Confessionis conscripturos esse rubricam sanguinis defluentis de cervicibus Lutheranorum. Septemvir Saxo petens ditionum suarum, pro more, confirmationem, austерum hoc tulit responsum: Imperatorm Majestatem ipsi, nisi prius hæresin Lutheranam ejurasset, feudum ferre & confirmare non posse. Hæc ita à Luthero usq; ad annum 30. gesta sunt. Ab illo tempore Lutherus noster non destitit Ecclesiæ Evangelicæ scribendo & docendo publicè privatimq; prodesse, sed fidelem

fidelem operam navare usq; ad exitum vitæ beatissi-
mum. Evocatus est autem electum illud Dei organum,
& Magnus Germaniæ Vates, cœlestisq; doctrinæ repur-
gator heroicus, ex hac misera & calamitosa in cœlestem
vitam, ad æterna gaudia ipsi cum omnibus electis per-
fruenda, Islebij in Patria sua 18. Februarij, Anni 1546.
ubi cum cœlesti Patre Spiritum suum commendasset, in
verâ fide ac certâ fiduciâ in Christum Iesum Mediato-
rem ac Redemptorem nostrum unicum dormienti si-
milis ex mundo hoc immundo discessit, placidè sanè,
& nullo cum corporis, qui quidem animadverti posset
cruciatu. Sic ergo mortuus est in patriâ suâ, quam à
multis annis non viderat, maximo cum gemitu, non
tantum popularium suorum, sed etiam omnium Evan-
gelicæ religioni addictorum. Mansfeldij quidem cu-
piebant eum suis in finibus, quod illinc originem habe-
ret, sepeliri, sed jussu Principis Electoris Wittebergam
honorificè delatus, & quinto die post in templo arcis
reconditus est. Attigit annum sexagesimum tertium
Climactericum, qui annus multis magnis & præclaris
viris emortualis fuit, & experientiâ teste, plerunq; ma-
gnas mutationes vitæ, morum & corporis arcano quo-
dam fatorum impulsu afferre solet.

Hic igitur est ille LUTHERUS per cuius ministeri-
um Deus Pater omnium misericordiarum nos ex denti-
sissimis, & plusquā Cimmerijs tenebris Papatus eripuit,
& claram Evangelij lucē, tantum non planè extinctam,
iterum accendit, ut DEUM jam juxta essentiam & vo-
luntatem ejus agnoscamus, & sciamus, in quem crede-
re, quomodo piè vivere, benè mori, & in extremo die
hilarè ad vitam æternam resurgere valeamus. Hic LU-
THERUS

THE R U S noster siue omni dubio per Angelum *Apocal:*
18. significatus fuit, quem Iohannes vidi de cœlo de-
scendentem, magnâ potestate præditum, plendore
suo terram collustrantem, & magna voce clamantem:
Cecidit, cecidit magnâ Babylon, factaq; dæmonum do-
micionis, & impurorum Spirituum. Quem nam puta-
bimus esse hunc Angelum, nisi LUTHERUM, pia san-
ctæq; memoriæ, qui non immiterò Angelus id est, nun-
cius vel legatus appellatur à DEO excitatus, ut nobis vo-
luntatem ipsius annunciat. Hic ipse Angelus seu nun-
cius recte cœlitus descendisse visus fuit: doctrina enim
LUTHERI non erat, ut Antichristi Romani, traditio
humana, aut ex cisternis impuræ rationis humanae de-
promta: sed à DEO per verbum revelatum accepta, &
ex puris fontibus Israëlis hausta. Magna quoq; fuit i-
stius Angeli potentia; doctrina enim LUTHERI ma-
gnâ vi instar fulminis, perrupit, & penetravit, sedemq;
Pontificiam, & universum Antichristi regnum, majori,
quam multi Imperatores atq; Reges aliquot seculis, cla-
de affecti. Præterea recte Angelus splendore gloriæ
sua terram collustrasse legitur, quam primùm enim
LUTHERUS indulgentias & superstitiones Pontificias
redarguere, DEIQ; verbum docere incipiebat, subito
Lux nova q; exoriri visa est, ita ut multi pij diversis in
locis ex scriptis illius illuminarentur, & relictis tenebris
Papatus, quibus antea totus terrarum orbis immersus
erat, ad lucem Evangelij converterentur. Hanc lucem
Evangelicam in medio Papatu jam olim multi pij anxiè
desiderarunt, suspirarunt; non pauci quoq; illam tem-
poribus hisce ultimis accendendam prædixerunt.

Johannes Hus Bohemus, ducentos ante annos in

C Con-

Concilio Constantiensi exurendus dixit: hodiè assatis
anserem (Huss enim lingua Bohemicâ anserem deno-
tat) post centum autem annos Olor venturus est, quem
assare non poteritis. Hic Olor fuit Lutherus, qui ex-
actis centum annis surrexit, & magno studio homines à
Pontificia idolomania abductos, verum cultum Dei
docuit. Idolatriam, contumelias in Christi merita, car-
nificinas conscientiarum, sodomiam incestas libidines,
adulteria, & similia scelera redarguit, frementibus li-
cet Sathanâ, & squamis ejus, ignemq; vomentibus, qui
etiam Olorem hunc non secus ac Hussum libenter ex-
uissent, nisi divinitus prohibiti essent. Husso succe-
dit Iohannes Hiltenius Isenacensis Thuringus, pius ordi-
nis Franciscani Monachus, qui in carcerem deterrimū
detrusus, quod abusus fratrum suorum reprehendisset,
in maximis doloribus dixisse fertur; nihil commisi, ob
quod tantoperè erga me commoveamini, nisi quod
abusus quosdam & superstitiones amicè reprehende-
rim. Verùm Anno 1516. alius Monachus venturus, &
Papatum totis viribus oppugnaturus est, quem haud
quaquam, ut me torquere poteritis. Quod ita in Do-
ctore LUTHERO eventus comprobavit. Audite aliud
de LUTHERO vaticinium. Cum adhuc Monachus Er-
phordiae in gravem morbum, cum vitæ periculo con-
junctum, incidisset, consolatus est eum Presbyter qui-
dam senex his verbis: mi Martine, sis bono animo, haud
moriere nunc temporis, per DEI gratiam magnus eva-
des, & multos homines consolatione tua sustentabis.
Iohannes de monte regio, insignis Astronomus, Ar-
gentinæ de LUTHERO ita vaticinatus est: DEUM pro-
pediem magnum virum excitaturum esse, qui Papa-
cum

tum reformaturus sit, optavitq; ut felicitas hæc videndi eum sibi contingeret; verùm septennio antè de vita exiit, anno quingentesimo decimo. Doctor Fleckius Prior Monasterij Steinlausnikensis propè Bitterfeldium, cum positiones Lutheri oppositas diplomaticis venalibus Tecelij vidisset, conversus ad fratres, & subridens, ait: Eja, venit tandem vir ille jam diu desideratus, ac multum expectatus, qui maximas res gesturus est, D E O sit laus, honor, & gloria. Et verè magnus vir fuit Luthe-rus noster magnasq; & stupendas res gessit, ut non abs re Poëta quidam hoc insigni eum ornârit elogio:

Japeti de gente Prior, majorvē L U T H E R O

Nemo fuit, sed nec, crede, futurus erit.

Et Dominus Philippus Melanchthon fidus ille Lu-theri Parastates, de eo sic cœcinit.

Hic est postrema verax etatis Elias,

Secula cui similem nulla tulere virum,

Nulla ferent talem secula futura virum.

Hæc de Luthero nostro, autore, & reparatore lucis Evangelicæ. Ubi autē, & quo in loco, ista Lux primū exorta sit, nunc considerandum nobis venit. Sunt plu-rima regna & maxima orbis Christiani; Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Dania, Suecia, Polonia, Hungaria, quæ Deus novo hoc ortu Evangelij sui dignari potuisset; nullum autem horum ipsi placuit, sed Germania Patria nostra dulcissima, & in illâ Saxonia, in hâc Witteberga, ubi tūm erat, & adhuc est florentissima Academia; hanc sibi præ cæteris nationibus & urbibus omnibus delegit, hîc primū Lux illa oriri, indead cæteras na-
tiones propagari debuit, quod & factum est, nam ut res te-

C 2 Christo,

Christo, fulgur exit ab oriente, & appareat usq; in Occidentem; ita Lux Evangelij exiens à septentrionali Wittbergâ, apparuit usq; in orientem, occidentem, & meridiem. Omnia primæ autem terræ, Brandenburgensis, Luneburgensis, Hassia, & Anhaltina, item Noriberga, & Reutlinga, urbes Imperiales, ex horrendis Papatus tenebris eluctari, & splendore Evangelicæ lucis illustrari ceperunt: non ita multò post etiam Anglia, Dania, Suecia, & alia potentissima regna, in quibus adhuc hodie splendore videtur...

Quin & in ipsis regnis Pontificijs, Hispania, Italia, Gallia, multa millia hominum, tenebris relictis, ad hanc lucem se conyterunt, ut nihil dicam de ijs, qui sui emolumenti, & quæstus gratia Pontificiam religionem simulant, in conscientiâ autem suâ convicti, falsam esse agnoscunt, atq; ita tacito assensu nostram approbant, adeò complendum fuit Christi prædictum. *Matth: 24.*

Claudant jam oculos, & obturent aures suas Papicolæ, quanto pere velint, nihilominus tamen splendor Evangelij oculos illorum ferit, atq; cor occæcatum ipsius Pontificis penetrat, ut fateri necessum habeant, se errorum jam convictos esse. Quanta lux hâc in urbe sit exorta excussis tenebris, quibus parentes atq; maiores nostri olim erant immersi, omnibus notum est; Cecidit, De gratia, apud nos quoq; pontificia idolomania, errores & abusus sunt amandati, Evangelium Iesu Christi purum & in corruptum in civitate nostrâ prædicatur, ut nunc in luce Domini, & in splendore Majestatis ejus, qui super nos exortus est, ambulemus. Quoth homines p̄ij inter ipsos pontificios fulgur hoc extrellum expectârunt, quantum cupiditate videndi illud flagrâ-

flagrâunt? Si in locis ultra marinis anxiae & trepidæ conscientiae reperire olim viam certam ad salutem, firmamq; consolationem nancisci potuissent; sanè post habitis omnibus laboribus, periculis ac sumptibus, per mare, per terras, per saxa, pér ignes eam quæsivissent. Certè omnes sumptus suos maiores nostri impendissent, si tempus illud lätum videre, concionemq; Evangelij dulcissimam, de Christo Mediatore & Satisfactore nostro unico audire potuissent: aurum & argentum, omnesq; facultates suas deposituissent, si modo conscientias suas in tuto collocare atq; salutis suæ certi esse voluisserent. Quantò igitur calamitosius fuit tempus illud Majorum nostrorum in tenebris palpitantium: tanto beatius est hoc nostrum seculum, quo D e u s per Evangelij sui prædicationem, clarissimam adeò lucem inter nos accedit, ut puer septennis fidei, atq; salutis suæ firmorem rationem ex doctrinâ Catecheticâ reddere possit, quam olim sexagenarij aut septuagenarij senes, verè jam affirmare audemus, ab Apostolorum tempore, Evangelium non tam perspicuè atq; incorruptè, ut nunc, fuisse annunciatum. Quo nomine perpetuò nobis D e o agenda sunt gratiæ, idemq; orandus, ut bonus, quod in nobis cœpit opus, perficiat usq; ad diem Iesu Philip: 1. vociq; suæ vocem det roboris *Psal. 68.* ut fructus Evangelio Christi dignos feramus, doctrinam servatoris nostri *Tit. 2. D e i* in omnibus ornemus. Ideò enim illuxit gratia D e i salutifera nobis, nos eru-diens, ut abnegatâ impietate, sobriè & justè & piè vivamus, lucem nostram coram hominibus lucere sinamus, ut videntes bona opera nostra, nobiscum glorificant Patrem in cœlis *Matth. 5.* Sed vela orationis meæ tan-

dem contraho ne patientia aurium vestrarum abutiv.
dear, & ad vos me converto viri Magnifici, Reveren-
di, Clarissimi, quos tantam laudem mereri omnes pro-
bi nōrunt, quantam nulla unquam temporis ex animis
nostris delere poterit oblivio, quod memores divini
mandati, quo verba sua non tantum in literas referri
sed & domi forisq; doceri jussit D E u s. Quod inquam,
Scholam hanc nostram, Ecclesiæ præsidium firmissi-
mum, Reipub; ornamentum præclarum, ætatis tene-
ræ *μητρόν* & *πατρίδεων* insigne, non tantum hactenus
benignè sustentatis, & conservatis, sed indies magis
magisq; pro vestrâ benignitate de Scholâ nostrâ benè
mereri pergitis. Testis est, ne longius abeam, dies ho-
diernus, festivitati Iubilææ facer, quem non tantum
oratione hac scholasticâ à me celebrari, sed & *δῶς*
μημονίγ distributione solennem esse voluistis, ut juven-
tus nostra scholastica, imò Nati natorum, & qui na-
centur ab ipsis, memoriam hujus Iubilæi anni conser-
varent perpetuam: qua in re melius de nobis mereri
possitis non video. Ædificijs civitatem exornare, tur-
res, templa, prytanea extruere, potentiam valere, divitijs
abundare, laudem & usum habet: at Scholarum disci-
plinam benè conformare, sinceræ religioni ac pietati,
literis humanioribus, & artibus liberalibus domicilium
præbere, multò majorem laudem meretur.. Nam in
in illis tantum exterritus splendor, & magnificenter cu-
jusdam superba species ostentatur, & bona corporis, &
fortunæ civium, mutationi & periculis obnoxia, ideoq;
Bianti sapientissimo parùm aut nihil æstimata, defen-
duntur: in his vero animæ salus, doctrinæ coelestis pu-
ritas, justitia & pax, omnium hominum deniq; com-
moditas

moditas quæritur, & propugnatur. Pergite Patres Patriæ, pergit, hoc Musarum domicilium pro pietate vestrâ, pro vestrâ prudentiâ constanter amplificare, pro benignitate vestrâ necessarijs sumptib⁹ juvare, pro fide vestrâ, doctorum virorum studio & adminiculo conservare, & ab interitu vindicare.

In fatis fuisse, ut Troja everteretur, Palladio ex arce Urbis surrepto, hoc est, prudentiâ & sapientiâ sublatâ, Poëtarum figmenta produnt. Proinde hoc vestrum palladium, Scholam dico, quæ pietatis honestatis, & bonarum artium & disciplinarum seminarium, & civitatis propugnaculum est, tam diu conservare, tueri, atq; defendere enim inimici, quam diu Rempub : salvam incolumemq; habere optatis. Quod si feceritis, stabit inconcussa religio, vigebit pax & tranquillitas, amplificabuntur civium bona, & non tantum haçætas, sed & posteritas vobis gratias aget. Breviter, civitatem hanc vestram, & Rempub : divino beneficio affeceritis, & ipsi aeternam gloriam consequemini. Et quia me singulari Dei providentiâ ante hos viginti annos Lavingâ, quæ quondam fuerat Musarum commoda sedes, ad Scholæ hujus vestræ gubernacula vocasti, ut juvenitatem vestram, operâ atq; adminiculo Collegarum meorum, in pietate, honestate, & bonis, ac in, genus adolescentibus dignum, artibus & literis erudirem, quod ut haec tenus pro facultate divinitus concessâ, præstitisse mihi videor; ita & in posterum in id incumbam sedulè, nè meam in studijs discipulorum provehendis fidem, & diligentiam, in moribus corrigendis censuram & disciplinam, in laboribus deniq; subeundis alacritatem & industriam desiderare possitis. Cumq; haec functio

functio sit ardua, omnium oculis subjecta, calumnis
multorum exposita, ut vestrâ me benevolentia porro
quoq; complesti, authoritate & patrocinio cōtra mor-
sus malevolorum tueri, ac consilio & ope, ubicumq;
fuerit opus, sublevare dignemini, submissè oro & ob-
testor..

Vos etiam, Collegæ optatissimi, mihi Parastatas,
divini Numinis curâ adjunctos appello, hortor & ob-
secro, ut cum unus vir, communi adagio, sit nullus vir,
me in hoc laborum pelago ad clavū navigij sedentem
& sudantem, vestrīs remigis alacriter adjuvetis. Syre-
nas, Syrtes, Scyllas, Charybdes, aliaq; monstra & loca
periculosaē providē observetis, & sapienter declinetis,
ne pubes fidei nostræ commissa, blanditijs horum de-
cepta ipsa, & nos cum eā, vel brevium voragine absor-
beamur, vel seopolis illisi, naufragium salutis & hone-
statis faciamus. Quod ne fiat, navis nostræ scholaſti-
cæ vela ad cœlestem illam Cynosuram Helicénve, glo-
riam, inquam, divini nominis salutem hujus scholæ &
civitatis, imò nostrum met ipsam dirigamus, ut ita com-
muni in servientes vitæ, multorum animorum salutem
lucremur, & ab interitu vindecimus. Et quemadmo-
dum liberales disciplinas amicè conspirare, Charitesq;
seſe invicem complexis manibus intueri scimus; ita nos
quoq; concordiaꝝ juxta & amicitiaꝝ dediti, devinctis for-
te & officio animis, in Scholæ nostræ utilitate amplifi-
candâ, mutuas, ut Comicus ait, tradamus operas. Si do-
ctrinæ præstantiâ, quâ claruerunt Athenæ, si disciplinæ
severitate, quâ celebris excitit Massilia, si inquam, util-
ia antiquæ Academiacæ ac scholæ tantum nomen assequi
non poterimus, in secundis tamen, tertij sive consistere,
nobis

nobis, qui primas affequi non possumus, præclarum ju-
dicemus.

Tandem vos quoq; Adolescentes atq; pueri opti-
mi, affari lubet, & diligentissimè cohortari, ut curam
& laborem à Magistratu nostro honorando, vestri cau-
ſa suscep̄tum agnoscatis, & benè apud animum vestrum
perpendatis, ac μημέσονον. sive grossum jubilæum, jam
jam nobis exhibendū, gratis mentibus accipiat̄s & me-
moriā hujus diei, & in ea gestarum, ad posteros trans-
mittatis, adhac voluntati parentum & præceptorum
obsequiamini, hanc morum & disciplinarum officinam
frequenter ingrediāmini, literis humaniorib⁹, ζὺν θεῶ
καὶ μάρτυς, meduce, & collegi⁹ in formatorib⁹ seduli o-
peremini. Ætatis enim vestræ est floridæ & ingenuæ,
per laborem & diligentiam implorato & adhibito D E I
auxilio, senectuti condere optimum obsonium, ut De-
mocritus adolescenti industrio dixit: ἡ παιδεία εἰς γῆρας
ἔφεδιον, hoc est, eruditio est ad senectutem viaticum. A-
gite igitur, & vestri & temporis imprimis hoc præcipiti
ætatis cursu habete rationem.

— — — — Festinat enim decurrere velox

Flosculus, angustæ n. iferaeque brevissima vita

Portio,

Canit Juvenalis satyr. 9. Quare occasionem & com-
moditatem discendi non negligite, sed juvenili vere se-
mentem facere studere, ut messem lœtissimam & uber-
rimam suo tempore colligere possitis. Sementem dico
virtutis & doctrinae quārū hæc sine illâ contemptibilis,
illa sine hæc neutiquam ornata & decora. Aures vestras
sæpè personet illa Democrati laudata vox: πολυπλέγχων
ἀνάλογος χρόνος. Sicut in flumine unda undam propel-
lit, nec

lic, nec unquam revocas elapsam: Sic in tempore dies
diem trudit, nec reparas amissam. Cogitate, nos Prae-
ceptores, vestri causa constitutos, ut vestris studijs, la-
bore, vigilijs, & monitis nostris subveniamus. Parete,
igitur legibus pietatis, hortationi Magistratus, voluntati
parentum, & præceptorum vestorum: & primùm o-
mnium Deum timere, inde Magistratui, parentibus, &
præceptoribus debitum honorem, observantiam & ob-
edientiam exhibere, studijs vestris sedulè invigilare,
cum literis bonos & laudatos mores, sive, ut Græci lo-
quuntur, τὸς μεταράτος χαρέσιν ἡδίσην συλλυγήσαι, conju-
re, studete. Sic quod vestri erit officij, feceritis, & vobis
favorem Dei hominumq; conciliabitis.

Deniq; ut ad eum se nostra convertat Oratio, qui
hujus negotij totius Autor primus est: Tibi Omnipo-
tens & sempiterne Deus, Pater, Fili, & Spiritus Sancte,
gratias agimus toto pectore, quod misso, & cœlitus in-
structo Megalandro nostro LUTHERO, qui putidas
putidissimi Papatus merces ex Filij Dei Ecclesiâ felici-
ter ex terminando, pristinumq; sacræ scripturæ nito-
rem restituendo, de toto orbe Christiano præclarè ad-
modum meritus est: quod, inquam, accendisti, & in his
terrîs quoq; conservasti lucem Evangelij tui, & etiam
num Ecclesiæ tuæ, cum universâ rerum naturâ inter
has turbas totius orbis, suspiranti, tranquilla concedis
halcyonia, quò verbum tuum prædicari, linguaæ neces-
sariaæ & artes liberales doceri, & ad posteritatem propa-
gari possint. Quòd item Magistratum Urbis hujus lau-
datissimæ radijs sapientiaæ tuæ illustras, pietatis amore
incendis, virtute confirmas, ut mentis acumine provi-
deat, amore incitatus cupiat, auxilio tuo fretus suscipiat,
& agat,

& agat, quæ doctrinæ puritatem tueri, justiciæ thronum
stabilire, Scholarum alveolos à fucis interitum studijs
minitanibus immunes servare queant. Rogamus te,
Clementissime D e u s, ut ab Ecclesiâ tuâ hostium irru-
entium vim porrò defendas, cruenta Esauitarum con-
silia, quibus Ecclesiæ & Scholæ, nostræ sudes sunt in o-
culis, reprimas & infringas, Magistratum nostrum be-
nignissimum quoq; tuo deinceps Numine regas, &
moveas, ut nostris laboribus favere, Scholam hanc pro-
pter tui Numinis & nominis gloriam, ut hactenus, sic
deinceps amare, nutrire, & tueri dignetur. Impertire
nobis necessarias vires, ut possimus, adde animum ut
velimus, studiorum nexu conjunctissimi, quæ sunt par-
tium nostrarum absq; livore atq; odio diligenter face-
re. Iuventutem in hac herbescente ætate excita, ut sic
disciplinae & bonarum artium capax, pietatem colat,
parentes, præceptores, ministros Ecclesiæ, ac Magistra-
tus, aliosq; viros honore dignos veneretur, & gratâ
mente beneficia quævis agnoscat & prædicet. Deniq;
quæcunq; vitæ humanæ subserviunt commodis, pro
tuâ immensâ, & quovis diluculo sese subinde renovan-
te, misericordiâ nobis largire; virulentissimum Satha-
naræ odium, quo nos enecare tantò rabiosius conatur,
quantò mundi nutantis ruinam proprius adesse videt,
reprime. Hoc autem facias propter te, & propter Fi-
lium tuum Dominum nostrum I e s u m C h r i s t u m,
ut beneficijs tuis referti, in hâc & alterâ vitâ, te Patrem,
Filium, & Spiritum Sanctum, unum verum in Tri-
nitate, & Trinum in Unitate D e u m linguis
animisq; celebremus aternum.

D i x i.

D 2

Habita

Habitâ Oratione

Grossus Jubilæus, à Magnifico atq; Amplissimo viro, Domino J O H A N N E G U I L E M O G U N D E L F I N G E R O, Consule ac Scholarchâ pri-mario, singulis Scholæ discipulis, di-stributus est.

Post hæc Gratiarum Actio recitata

à

Casparo Eplino Nordlingano
Scholæ discipulo.

Ravissimas poenas, & iram divini Numinis maximam, Amplissimi, Prudentissimi, Reverendi, Clarissimi, atq; doctissimi viri, Patres Conscripti, Scholarchæ optimi, Mecenates omni venerationis cultu dignissimi; gravissimas, inquam, pœnas denunciat, & minatur Spiritus Sanctus omnibus ingratis, libri sapientiæ sexto capite, quando inquit: Ingrati spestanquam hyemalis glacies tabescet, & fluet tanquam aqua inutilis. Et profectò suâ naturâ foedissimum & abominandum est ingratii animi crimen, cuius Sathanam hostem illum primævum humani generis, authorem esse, Sacris literis edocemur. Et si autem in omnibus maximopere crimen hoc abominandum:


nandum : longè tamen maiore abominatione, & gra-
viori suppicio dignum est in Scholasticis, qui cum se-
mel atq; iterum Mocænatum suorum non tantum lar-
gas apprehenderunt manus, verùm etiam benè beateq;
vivendi rationes honestissimas, sine quibus vita bellui-
na magis quàm humana est, ab illis acceperunt: non tan-
tum non referunt gratiam, sed nec habent, aut agunt,
inuò accepisse se negant, aut dissimulant, aut obliuiscun-
tur. Quocirca ne idem crimen nobis objici possit, o-
mnino officij & Pietatis rationes requirunt atq; flagi-
tant, ut pro eximijs vestris in nos meritis, gratiam refe-
ramus saltem exigam. Sed cùm omnes nostras inge-
nij & fortunæ arculas excutimus, & animis nostris nu-
merosam illam plurimorum beneficiorum vestrorum
multitudinem perpendimus, eamq; cum nostra renu-
itatè, & fortunâ comparamus, agnoscimus prò dolor,
quam curta sit nobis supellex ad gratiam referendam,
imò nulla. Nam non tantum annos jam multos studia
nostra liberalissimè & paternè varijs rationibus juvi-
stis: sed etiam ad priora beneficia hoc ipso die aliud ad-
didistis, donum honorarium, ceu Iubilææ hujus solen-
nitatis μημόσυνον, inter nos distribuendo, atq; ita bene-
volentiam suam erga nos, & studia nostra declarando.
Quæ certè omnia majora sunt & ampliora, quàm ut à
nobis gratia ullâ ratione referri possit. Quid ergò no-
bis agendum? num alia gratias agendi via, quam insista-
mus, superest? num prorsus omnia nobis negata, omnia
præcisa? num semper ingrati erimus? minimè verò
gentium. Nam cum animi vestra bonitas & facilitas
nobis sit notissima; minimè dubitamus verbis etiam a-
liquo modo, & vitâ probatâ vobis satisfieri posse. Itaq;
D 3 hoc

hoc quidem tempore, quia aliud nihil datur, gratias vobis agimus & habemus tantas, quantas animi nostri angustiarum capere possunt: & ut uno verbo dicam, maximas cum pro superioribus beneficijs omnibus, tum verò pro honorario modo distributo, & honorificè vestram praesentiā, qua actum hunc nostrum condecorare voluistis. Submissè etiam, & qua par est, animi observantiam vos rogamus, ut & in posterum patrocinio vestro & tutelā dignos nos judicare velitis. Quod si haec impetraverim⁹, pollicemur, & sanctè promittimus nos non tantum indies magis magisq; ad bonarū artium cognitionem, ad bonos mores, ad eruditā, pietatem, & piam eruditionem elaboraturos; verum etiā Deus Opt: Max: oraturos, ut vos diu saluos & in columbus conserveret. Numine suo, ac Spiritu Sancto regat & ducat, ab omnibus hujus seculi insidijs & machinationibus clementer conservet; deniq; nos & nostros conatus, nostra studia, & actiones universas ita regat & moderetur, ut aliquando vel Ecclesiæ, vel Scholæ, vel Reipub: vestram utili locare operam, & ita vobis aut posteritatu vestram qualcunq; gratiam referre queamus. Quod faxit Deus Ter Optimus Max:

A M E N.

F I N I S.





A U S O N . E P H.

— — — — — *Hac semita Caeli est,
Quâ Proceres abière pij : quâq; integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super athera curru
HELIAS, & solido cum corpore prævius HENOCH.*



N O R I M B E R G A,

E Typographeio Abrahami Wa-
genmanni. 50

50(0)50